



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

Henricus, de Sancto Ignatio

Leodii, 1709

Caput 261. Prudentia Confessarii in ordine ad perjuros & blasphemos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

animæ, licet per gratiam reparabilis, majus malum est, magis proinde fugiendum, quam probabile periculum mortis corporalis, licet irreparabilis: quemadmodum certum periculum mortis spiritualis per poenitentiam reparabilis, majus malum est, magisque fugiendum, quam certum periculum mortis corporalis irreparabilis, prout constat ex eo quod certam mortem corporalem, imò mille mortes corporales subire teneamur, potius quam vel semel spirituales animæ mortem peccando incurere.

2827 Nec dicas 2^o. esse in potestate voluntatis, in occasione proxima peccati existentis, non peccare; non esse verò in potestate parentum v. g. existentium in occasione proxima suffocandi tenellum infantem, in eodem secum lecto positum; non suffocare illum, dum super illum dormiendo jacent. Quia neque hæc responsio admodum christiana est, dum sic ponit esse in potestate voluntatis, in proxima peccandi occasione seipsum constituentis, non peccare, seu non consentire tentationi & occasione, quasi ad non peccandum, seu non consentiendum, in tali tentatione & occasione, necessaria non sit gratia Dei efficac. Quam sibi temere & presumptuose promitteret, qui talem occasionem vitare non vult, cum potest. Cum scriptum sit: *qui amat periculum, peribit in illo*. Denique sic est in potestate voluntatis, in dicto casu, non peccare, seu non consentire tentationi, ut morale periculum sit, ne fiat de nolente volens, & de non consentiente consentiens, etiam si jam resolvat & protestetur se nolle peccare. Si autem regula sit generalis prudentiæ, & charitatis, è duobus malis occurrentibus eligendum minus, si utrumque caveri non possit: multò magis è duabus partibus, ex quarum una imminet morale periculum consentiendi in mortem animæ suæ; ex altera nullum; eligendam partem, quæ periculo caret. Probabile autem periculum est consentiendi in mortem animæ tuæ, si talem adeas occasionem; nullum periculum, si eam fugias (nec enim adire teneris, ut suppono) igitur ex regula prudentiæ & charitatis, eam fugere teneris. Et si hoc negas, notissimas prudentiæ & moralis christianæ regulas negas. Quare non tam ratione quam sensu tecum agendum.

2828 Inquiro ergo à te, an te exponeres viæ, quam scies à latronibus vel leonibus aded infestari, ut ex decem hominibus eam ingressis, solam quatuor vel quinque lacratif fuissent, atque in frustra concissi? an (inquam) ei te exponeres, si posses non exponere? utique si tale periculum, etsi solum probabile, contemneres, ab omnibus imprudens, & temerarius, mortemque tuam interpretativè volens censeris; ac proinde eo ipso peccare. Cur ergo non censeberis magis imprudens, & temerarius, spiritualesque mortem animæ tuæ interpretativè volens, periculum illius (etsi solum probabile) adeundo, dum posses non adire?

2829 Aliud esset, si maneres in occasione, quam sine peccato non posses deserere (quomodo uxor v. g. deserere non potest maritum, qui ipsi frequens est occasio peccandi) vel non nisi incidendo in aliam occasionem peccandi periculosiorem, magisque fugiendam. In talibus enim circumstantiis non censeris velle peccatum, volendo talem occasionem, utpote quam non posses deserere.

2830 Dum autem frequentans consortium, in quo probabile est peccandi periculum, solum allegat morem patriæ, necessitatem convictus, commoda temporalia, imminens ex separatione infamiæ vel fortunarum periculum, aliæque ejusmodi, quæ solus amor proprius, prudentiæque carnis & sæculi suggerunt, istis omnibus præponderare debet Christi præceptum, *si oculus tuus dexter, &c: fers-*

venti tamen oratione, prudentiæque non vulgari Confessario tunc opus est, ut consanguineos & affines in eadem domo manentes, atque hinc in probabili incestus periculo existentes, consiliis suis juvet & dirigat in electione mediorem convenientium ad illam separationem, tametsi idè necessarium exequendam, quia omnes considerationes temporales floccificandæ sunt, dum periclitatur æternitas, agiturque de vitanda æterna damnatione.

Istis proinde considerationibus & pretextibus flecti non debet Confessarius, imò maximè ostendere debet, pro nihilo habendum pretextum infamiæ, allegari solum ab iis qui moralem peccandi occasionem idè dicunt se non posse desistere, quia non possunt absque periculo scandalæ & infamiæ. Neque enim scandalum rationabiliter timere potest ex abiectione occasionis peccandi. Cum econtrà tota vicinià quotidie scandalizetur de malo exemplo, dato ab iis qui sciuntur, vel suspèctantur esse in ejusmodi occasione. Utque aded enim tota vicinià quotidie adversus ipsos personat, obloquitur, murmurat, ut valde cæci sint, qui sibi persuadent, se non esse alii scandalo, dum in tali permanent occasione. Ridiculi ergo sunt, ne dicam insensati, dum idè turbantur ad præceptum Confessarii, jubentis talem præscindere occasionem, quia prætexunt, famam ipsorum periclitari, si præscindant. Imò periclitatur potius si non præscindant. Convincantur argumento isto cornuto: vel vicinià scit, aut suspicatur aliquid mali in illa tua occasione, vel non? Si non, nullam infamiam, vel scandalum rationabiliter metuis ex dimissione talis occasionis, magis quam ex dimissione ancillæ, seu alterius personæ nullo modo suspectæ. Si sic: manifestum est timendam à te infamiam & scandalum ex mansione in tali occasione, non ex dimissione illius; utpote per quam scandalum, & famam tuam perditam, vel saltem periclitantem, reparabis.

Si equidem poenitens non acquiescat, allegans sibi nimium difficile dimittere talem occasionem, cum jactura famæ, vel fortunarum suarum. Exponat ipsi Confessarius oraculum Christi: *quid prodest homini, si mundum universum lucretur, &c.* Exponat & hoc, quod si regnum celorum absque difficultate acquiri posset, frustra Christus dixisset: *regnum celorum vni patitur, & violenti rapiunt illud*. Frustrà denique jussisset erudendum sibi oculum, abscindendam manum, & pedem, si nulla ad hoc difficultas subeunda foret, sed tunc solum occasio rescindenda foret, cum sine difficultate posset.

Denique exponat ipsi prudens Confessarius, quod nullum ex illis pretextibus allegaret, sed spontè ipse occasionem dimitteret, si femina, cujus conversationem perditè amat, fieret valde difformis, vel molesta, vel leprosa, vel si dimissio illius necessaria foret ad obtinendam pinguisimam hæreditatem, sibi sub ista conditione promissam. Quod proinde ab omnibus istis peccati occasionibus à fortiori abstinere debeat ad vitandam gehennam, obtinendumque regnum celorum. Quod nisi actu præstiterit (dum agitur de dimittenda occasione proxima per se) absolvi non debet, nec Confessarius quoad hoc prudenter credet verbalibus promissis ipsius. Vide supra cap. 117. & 223.

CAPUT CCLXI.

Prudentia Confessarii in ordine ad perjuros & blasphemos.

Duo sunt blasphematorum genera. Alii enim, Luciferi similes, Deum blasphemant ex ira

contra Deum, formalique intentione Deum inhonorandi. Alii blasphemant ex ira contra aliquam creaturam. Priores, velut rebelles declarati, ponunt in cælum os suum, injuriosa verba in Deum, vel Sanctos evomentes, vel facto aliquo Dei honorem directè impetentes. Posteriores, absque formali intentione Deum inhonorandi, jurant in ira sua per mortem, per caput, per ventrem, per sanguinem Dei, & similia.

2834 Quæ licet aliquibus non videantur esse blasphemie; contrarium dicendum est, eò quòd communi timoratorum apprehensione contineant formalem inhonorationem, indignissimamque tractationem sanctissimi nominis Dei, membrorumque Christi. Idèòque *immanis est blasphemia* (ait Concilium Moguntinum anni 1649.) *cùm sanctum nomen Dei, & salutaris Christi passio, & devotus pro salute hominum sanguis ejus, & reverenda Christi Sacramenta... ad execrationes & maledictiones assumuntur.* Et Concilium Trecentense anni 1427. *sunt nonnulli, qui Redemptorem suum turpiter inhonorantes, detestabilia in ejus blasphemiam faciunt juramenta, sicut per carnem suam, per sanguinem, per mortem... per caput... jurantes.* Denique Chryllostomus homil. 1. ad pop. Antioch. assidua ejusmodi juramenta, blasphemias vocat. Sicut & Justinianus Imperator in Authent. 6. tit. 6. de his qui luxuriantur. Et ratio petitur ex Hieronymo relato can. *cùm caput 33. q. 5. quia verbum Domini blasphematur, dum contemnitur... vel pro nihilo ducitur.* Similiter ergo blasphemia est, dum nomen, caput, venter, sanguis Dei, &c. contemnitur, vel pro nihilo ducitur. Quod profectò fit dum, pro re levissima & inani, sanctissima illa nomina, vel ad demonstrandam iram indignè assumuntur, vel ad execrationes, & maledictiones, & minas usurpantur. Quod facientes, blasphemii vocantur can. *siquis 21. q. 1.*

2835 Jam verò prudens Confessarius scire debet, tantam impietatem (sic eam voco, quia similia verba non procedunt nisi ex corde impio) phrethi-
camque febrim mollioris remediis ordinariè non curari, sed asperis & pungentibus; idèòque neminem, blasphemie reum, absque gravissima poenitentia absolvendum. Cùm blasphemia gravissimum sit peccatum, damnatorumque occupatio. *Non enim aliud opus in inferno exercent* (inquit D. Antoninus p. 2. tit. 7. c. 5.) *nisi blasphemare Deum, & maledicere, ut de illis ait S. Joannes Apocal. 16... blasphemaverunt Deum cæli præ doloribus, & vulneribus suis. &c. Qui ergo hoc vitio detinentur, ostendunt se pertinere ad statum damnatorum, ex quo exercent artem eorum.* A cujus criminis gravitate, ut paulò antè dixerat, quis non excusatur, quòd ex subita ira hoc facit, vel ex more. Sicut nec excusaretur ab homicidio, & consequenter à pœna mortis, *siquis ex impetu iræ hoc ageret.* Idèò Leo X. approbante Concilio Lateran. sess. 9. in foro (inquit) *conscientiæ, nemo blasphemia reus, absque gravissima poenitentia, severi Confessoris arbitrio in sancta, possit absolvi.* Quod Pius V. confirmavit Constitut. quæ incipit *ut primùm.* *Siquis autem Deum negaverit* (ait Concilium Trecentense anni 1427.) *vel despitaverit, pro prima vice duos dies, pro secunda quatuor in pane & aqua jejunare compellitur.* Verus Poenitentiale Romanum, eum qui per capillum Dei, aut caput ejus juraverit, aut alta blasphemie verba protulerit, si semel nesciens, id est inconsideratè, & præcipiti lingue motu id fecerit, septem dies poenitentiae in pane & aqua. Si secundo, vel tertio increpatus id commiserit, dies quindecim in pane & aqua poenitere statuit.

2836 Quicumque verò blasphemantem audierit (prosequitur Leo X. cum Concilio Lateranensi) *eum verbis acriter oburgare teneatur, si cura perien-*

lum suum id fieri posse contingeret, eumque deferre vel notificare apud Judicem Ecclesiasticum, seu seculari intra triiduum debeat. Quod etiam Pius V. confirmavit ubi suprâ. Iis autem qui blasphemos denuntiaverint, decem annos Indulgentiarum Leo X. concessit.

Ei igitur, quem Confessarius invenierit reum tantæ impietatis, quam non immeritò nuncupaveris monstrum iniquitatis, præter ordinaria poenitentia opera, orationes, jejunia, elemosinas, disciplinas, &c. proderit injungere, ut impia lingua sua toties in die terram lingua; toties in die, prostratus coram Crucifixo, veniam humiliter petat; toties in reparationem violati honoris divini recitet Rosarium ex divinis laudibus compositum, e.g. ex gloria Patri, &c. vel sit nomen Domini benedictum, loco Pater noster, & ave Maria, &c.

In remedium autem præservativum, oculis incarnatorum Luciferorum istorum velut basiliscorum, proderit excipere. speculum iniquitatis suæ, ut scipios, seu execrandam malitiam suam exhorreat. Ipsi ergo Confessarius ob oculos ponat gravitatem malitiæ ipsorum, utpote quæ similis est, imò major malitiæ damnatorum. Ipsi enim blasphemant manum Dei vindicem iniquitatum ipsorum; blasphematores verò nostri blasphemant nomen sanctum, in quo est salus, vita & resurrectio ipsorum; nomen, inquam, Dei, à quo replentur omni gratiâ & benedictione; blasphemant & sanguinem; qui tollit peccata mundi. Proderit etiam ipsis injungere, ut quoties ipsis verba impietatis exciderint, toties talem vel talem elemosynam dent egenis, &c.

Dumque se excusat super habitu suo, vel ira sua, in qua non intendunt facere Deo injuriam. Reponat Confessarius: Ergone sanctum Dei nomen, adorandum Christi caput, venter, sanguis, &c. in ira tua, tam irreverenter pronuntiaris debet? Justissime est ut furori tuo satisfacias, tam indignè tractandum sanctissimum nomen Dei, sanguinem Christi, &c.?

Nec ipso excusat habitus, imò magis accusat, dum omni modo possibili non saugunt ipsum destruere. Quia certum est verba blasphemie ipsius voluntaria esse in tali causa, imò & ut plurimum in se. Quia tamen si iusta rationis attenuetur per iram impravissam; ut plurimum tamen non ita subito obscuratur, quin miser illi saltem confusè advertant se valde indignè tractare adorandum Dei nomen, caput, &c.

Et hæcenus quidem dicta de blasphemia cum proportionem applicari possunt perjurio; ad quod facillè transeunt, qui frequenter jurant, ut Augustinus monet in 1. b. de mendac. circa medium. Propterea namque Ecclesi. 3. dicitur, *quod vit multum jurans replebitur iniquitate.* Ut autem enormitatem perjurii peccator percipiat, Confessarius ipsi exponat sequentia. 1. tantam esse illius criminis impietatem, ut perjurus can. *quicumque 6. q. 1. declaratur infamis.* 2. quòd can. *prædicandum 22. q. 1. non minor poenitentia imponenda statuat perjurio, quam homicidæ: prædicandum est ut fideles perjurium caveant; severius hoc grande scelus esse, nec levem perjurii poenitentia modum imponendum, sed talem qualis homicidii imponitur, & ceteris criminibus capitalibus.* 3. juxta S. Thomam quodlib. 1. a. 18. Solum 1. 8. de just. a. 3. Sanchez lib. 3. in Decal. c. 5. n. 37. graviorem esse perjurii quam homicidii malitiam.

CAPUT CCLXII.

Prudentia Confessoris in ordine ad deos voluptatibus obsecans.

Valdè difficulter curantur obsecantibus deo dediti; idèòque prudentiâ magnâ opus est ad curationem